Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37127
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

palma 24

32

ruazpe dulcuos et erebit eos illu oportune tradet et prima die a
zimis cum pasca immolaba dicunt ei discipuli eius ubi vis eamus et parabimus tibi
ut manduces pasca et mittit duos ex discipulis suis et dicit eis ite in
ciuitate et occurret vobis homo lagenam aque baiulans sequimini eum et quecumque introiuerit
dicite domino domus cui dicit Ubi est refectio mea vbi pasca cum discipulis meis
manducem et ipse vobis demonstrabit cenaculum grande stratum et illic pare
te et abierunt discipuli eius et venerunt in ciuitatem et inuenerunt sicut dixerat illis ihs
et paraverunt pasca Vespere autem facto venit cum duodecim et discumbentibus eis
et manducantibus ait ihs Amen dico vobis quia unus ex vobis me tradet qui man
ducat mecum et illi cepunt contristari et dicere ei singillatim Numquid ego sum Qui
autem illi Unus ex duodecim qui intingit mecum in catinum et filius quidem hominis va
det sicut scriptum est de eo Ve autem homini illi per quem filius hominis tradetur Bonum
ei erat si non esset natus homo ille et manducantibus illis accepit ihs panem
et benedicens fregit et dedit ~~discipulis suis~~ eis et ait Sumite hoc est corpus
meum et accepto calice gratias agens dedit eis et biberunt ex eo omnes
et ait illis hic est sanguis meus noui testamenti qui pro multis effundetur Amen dico
vobis quia iam non biberam de gemine vitis usque in diem illum cum illud bibam nouum in regno dei
et hymno dicto exierunt in montem oliuarum et ait eis ihs Omnes scandalizabi
mini in me in nocte ista quia scriptum est Percutiam pastorem et dispergentur oues gregis
Sed postquam surrexero precedam vos in galileam Petrus autem ait ei et si omnes scandalizati
fuerint sed non ego et ait illi ihs Amen dico tibi quia tu hodie in nocte hac priu
quam bis gallus vocem dedit ter me es negaturus At ille amplius loquebatur et si oportuerit me comori tibi non te negabo et similiter omnes
dixerunt Venit in predium cui nomen getsemani et
ait discipulis suis Sedete hic donec oremus et assumpsit petrum et iohanem et iacobum
secum et cepit pauere et tedere et ait illis Tristis est anima mea usque ad mortem
Sustinete hic et vigilate et cum processisset paululum procidit super terram et orabat
ut si fieri posset transiret ab eo hora et dixit Abba pater omnia tibi possibilia sunt
transfer calicem hunc a me sed non quod ego volo sed quod tu et venit et inuenit eos
dormientes et ait petro Simon dormis Non potuisti vna hora vigilare mecum
Vigilate et orate ut non intretis in temptationem Spiritus quidem promptus est caro autem infirma
et iterum abiens orauit eundem sermonem dicens et reuersus denuo inuenit eos
dormientes erant enim oculi eorum grauati et ignorabant quid responderent et venit tertio